

DISPUTATIO  
DE  
PARALYSI.

*Quam*

Diuinâ fauente gratiâ

PRAESIDE

DUNCANO LIDDELIO, PHILO-  
sophiæ & Medicinæ Doctore & Profes-  
sore in Academiâ IULIA, ac Collegij  
Medici Decano;

PRO

*Licentiâ consequendi gradum Doctoris in arte  
Medicâ defendere conabitur*

HERMANNVS Becker  
GOSLARIENSIS.

*Fiet disputatio 9. Augusti, hora & loco  
consuetis.*



HELMÆSTADII,  
Excudebat Iacobus Lucius. Anno  
c1o 1o cv.

Psychiatr.

1,39<sup>ti</sup>

Aus der  
Schloßbibliothek zu Oels  
1885

14369

HELMSTADT  
Excubet Jacobus Incine Anno







DISPVATIO  
DE PARALYSI.  
THESIS I.

**H** *Αρεσίλυσις & πάρεσις* latinis resolutio siue neruorum relaxatio & mollificatio à symptomate nomen habet, vt testatur Gal. 2. Meth. nimirum ab amissione <sup>Nomen</sup> ne sensus tactus, motusq; voluntarij in partibus.

Verùm non omnis resolutio siue priuatio sensus, motusq; propriè paralysis est. Nam vbi in toto corpore sensus motusq; subitò perit cum principis facultatis læsione Apoplexia simpliciter dicitur. Vbi non in toto, sed in parte perit sensus tactus, motusq; voluntarius, Paralysis absolutè appellatur, aliquando Paraplexia, licet paraplexia & hemiplexia propriè sit ea particularis resolutio in quam Apoplexia terminatur. Hippocrates 40. Aph. 7. 2. Prorrh. & alibi, pro vocabulo paralysis Apoplexiam partis plerumq; ponit.

2. A Galeno verò per Paralyfin communiter intelligitur <sup>Differentia</sup> illa resolutio, in qua partes vel solo sensu tactus, vel motu voluntario, vel vtroq; priuantur. Verùm vbi solus sensus perit illæso motu, à Gal. αἰαιθησις, ab aliquibus cum adiectione Paralysis sensus appellatur; vbi motus perit, sine aut cum sensu tactus, simpliciter paralysis: nos verò de paralysis communiter dicta hoc loco agemus.

3. Non omnis motus impeditus aut prohibitus partis cuius statim Paralysis est, sed qui ex defectu virtutis animalis influentis per neruos in musculos accidit. Nam qui conuelluntur & quorum articuli sunt læsi & ligamenta soluta, aut ossa A fracta,

Modus generationis

fracta, item arthritici, partes pro arbitrio mouere nequeunt: attamen Paralytici non sunt. Quare modus generationis paralyfis propriè dictæ erit, quia virtus animalis à cerebro per neruos in musculos & cutem influere prohibetur.

Definitio.

4. Definiri itaq; poterit Paralyfis, abolita functio sensus tactus, motusq; voluntarij in partibus sine læsione principis facultatis à causa prohibente spiritus animales influere in organa sensus & motus. Dico abolitam functionem sensus tactus & motus, ad differentiam torporis & stuporis, in quibus sensus & motus tantum diminutus est. Deinde sine læsione principis facultatis, ad differentiam Apoplexiæ vt alibi dictum est.

Pars affecta.

5. Organa illa motus voluntarij in quæ non influit vis animalis, sunt nerui motorij & muscoli proxima instrumenta motus. Organa verò sensus in partibus sunt capillares nerui, qui ad cutem disperguntur, ipsaq; cutis, vbi perficitur tactus. Quare non influente virtute animali in cutem & musculos partis alicuius, necesse erit sensum tactus, motumq; illius voluntarium cessare. Proinde morbus causa immediata paralyfis erit qui influxum virtutis animalis à cerebro per neruos prohibet. Locus primo affectus interdum est cerebrum, quia vim animalem ad spinam aut neruos subiectos non transmittit. Plerumq; spinalis medulla aut neruus aliquis peculiaris, quatenus vim animalem ad musculum & cutem cerebro non distribuunt. Adduntur à nonnullis muscoli secundum tendines, partesq; neruosas, quatenus vim influentem per neruos non suscipiunt.

Causa.

6. Ratione cerebri, sensus motusq; varijs modis, varijsq; de causis perire solet. 1. Quia spiritus animalis in cerebro non generatur, vt in graui syncope, aut in his qui morti sunt vicini. Sed hæc Paralyfis propriè non est. Deinde quando distrahitur & dissoluitur spiritus in cerebro, quod in magnis vulneri-

**B**

vulneribus capitis, aut muscoli temporalis accidere solet, vbi  
partis oppositæ Paralyfis oritur propter grauem inflammati-  
onem, aut vehementem calorem & dolorem, spiritus animales  
in partem læsam trahentem. 3. Quando intercipiuntur spi-  
ritus proptet angustiam aliquam in cerebro, sed non omnium  
ventriculorum vt in apoplexia, sed partis dextræ aut sinistrae,  
aut læsa substantia cerebri in exortu neruorum, aut affectis  
meningibus.

7. Vt plurimum morbus causa paralyfis est in spina aut  
neruis. A medulla spinali partes omnes quæ sub facie sunt,  
exceptis visceribus & vocis quibusdam organis, neruos acci-  
piunt. Habet autem spinalis medulla, & nerui à natura aut  
meatus, aut tantam substantiæ raritatem, vt vim animalem,  
sive spiritus à cerebro diffluentes transmittere queant, quæ  
vis à cerebro, ad spinam & neruos se habet, vt radij solis NB  
ad aërem vel aquam. Vt enim aqua turbida, aërq; nebulo-  
sus non sinit radios solis libere permeare, sed aqua limpida,  
aërq; purus: Ita spina aut nerui si crassiores & compactiores,  
reddantur quàm pro naturæ modo, aut obstruantur, spiritus  
animales à cerebro influere prohibent.

8. Morbus autem spinalis medullæ & neruorum ac etiam  
tendinum musculorum, qui influxum animalis virtutis prohi-  
bet, siue causa immediata paralyfis, est, vel intemperies, vel  
continui solutio, vel meatuum angustia. Intemperies quæ  
Paralyfin immediatè excitat, vehementer frigida est, neruos  
& spiritus congelans, simulq; humida, quæ neruos relaxat, &  
spiritus ipsos obrundit siue obruit. Ab intemperie sicca Pa-  
ralyfis propriè non oritur, vt Trallianus arbitratur.

9. Quanquam autem intemperies omnis, si augeatur, acti-  
ones proprias partis impedire queat, tamè paralyfin excitant  
potissimum intemperies frigida humida, quæ neruos relaxat,  
spiritus congelat & obruit: Non propriè intemperies calida

ficca, quæ quo magis intenditur, nervosum genus vnâ cum musculis magis contrahit, etiam si sensum partis interdum minuat, & motum voluntarium impediat, quod in conuulsione ab inanitione accidere poterit, si affectus augeatur. Quare videtur hæc affectio conuulsio coniuncta cum Paralyfi sensus magis quàm vera Paralyfis. Intemperies frigida humida plerumq; est cum humore pituitoso, interdum sine humore, qualis Paralyfis ijs accidit, qui diu in aëre aut aqua frigida commorati sunt. Item ex contactu Torpedinis piscis: aut ex immodico vsu opij, aliorumq; narcoticorum & frigidorum medicamentorum, &c.

10. Secundum genus morbi vnde paralyfis, est solutio continui, & primario est vulnus & sectio spinæ, partisq; nervosæ per transfuersum, item contritione à grauissima contusione. Tertium genus morbi est angustia meatuum, siue viæ spirituum per spinam & nervos. Ea est vel obstructio, vel compressio, vel constipatio aliqua spinæ vel nerui. Verùm ab obstructione spinalis medullæ, secundum medullarem substantiam vt plurimum excitatur paralyfis. Oritur autem illa obstructio nervorum & spinæ potissimum ex pituitoso humore defluente à cerebro ad nervos, aut transmissio à ventriculis cerebri ad spinam & nervos, quod euenire consuevit dum Apoplexia in paralyfin, siue *παρωληξία* transmutatur. Fieri etiam poterit obstructio à Melancholico humore, vel à sanguine pituitoso, aut à mixto humore collecto circa medullarem substantiam nervorum, nunquam propriè à sincera bile, aut ab acri, calido, tenuiq; humore, qui nervos magis ad motum stimulat, quàm relaxat, & immobiles reddit.

11. Attamen Paulus & alij mentionem faciunt Paralyfis cuiusdam contractæ ex colica pestilenti biliosa per translationem materiæ ad nervos. Sed in illa perijt motus tantum, manente sensu. Deinde causa peralyfis illius videtur non fuisse

N

isse



isse sincera bilis, sed cum multa pituitæ copia permixta in cerebro. Proinde lib. 3. cap. 18. Paulus eam curare iubet inunctionibus digerentibus, modicè refrigerantibus, & roborandi vim habentibus.

12. Fernelius à bile flava paralyfin fieri existimat, quod nonnullos tertiana febre laborantes paralyticos factos fuisse animaduertit. Verùm nec ista paralyfis à bile flava propriè est. Sed potius quia febrilis calor pituitam redundantem in corpore colliquat, & propter debilitatem membrorum tempore rigoris ad neruos propellat, aliquando ad articulos, vnde excitatur arthritis. Nec alia ratione vinum generosum immodicè sumptum paralyfin excitat, quam quia humores frigidus ad neruos propellit.

13. Deinde constipatio neruorum quæ causa apoplexiæ est, oritur à tumore in substantia spinæ aut partis neruosæ secundum medullarem substantiam potissimum, transitum spirituum animalium impediendo. Sed hoc modo paralyfis rarius contingit. Tertio compressio excitatur ab ictu, contusione spinæ aut neruorum, vel à luxatione vertebrarum spinæ ad latus, vel à tumore extrinsecus comprimente, aut à vinculis iniectis neruosis partibus. Sub angustia spinæ & neruorum à nonnullis comprehenditur subsidencia neruorum, ob vehementem siccitatem à calore siccante substantiam neruosarum partium, eamq; densante & cogente. Verùm à tali siccitate nerui aut tendinis relaxatio non oritur, sed potius contractio siue conuulsio, quæ si augeatur sensum partis diminueri interdum solet, vt supra diximus. Hæ sunt causæ propinquæ ipsius paralyfis, siue morbi vnde excitatur.

14. Verùm remotæ causæ sunt, quæcunq; genus neruosum debilitant, & humores noxios gignunt & accumulunt, & ad neruos aut initia neruorum impellunt, cuius generis sunt aëris ambientis nimia frigiditas & humiditas, cibi pituitosum

Causæ remotæ.

succum

succum gignentes, suppressio consuetarum euacuationum, crapula, ebrietas, vinum potens sumptum ieiuno stomacho, venus intempestiua, quæ duo neruofum genus vehementer debilitant, potissimum in senibus. Huc accedunt casus ab alto, percussiones capitis & spinæ, somnus diurnus statim à cibo, timor, curæ, ira & quæcunq; humores ad caput & neruos impellunt, vt in Disputat. de Apoplexia latius demonstratum est.

15. Causæ illæ propinquæ excepta vnitatis solutione, si leuiores fuerint, vt vis animalis per neruos quasi radij solis per nebulam transeant, pro paralyfi stuporem, aut torporem inducunt, coëunte in vnum morbo & facultate. Si vehemētiōres fuerint, vt omnem virtutis animalis influxum prohibeant, aut quàm minimum relinquunt, oritur paralyfis, in qua aufertur aliquando solus sensus tactus partis alicuius, aliquando solus motus, plerumq; vterq;

Causa cur  
pereat sen-  
sus illæ so-  
motu &  
contra.

16. Verùm vbi muscoli & cutis partis alicuius communi neruo donantur, qui vim animale[m] vtriq; distribuit, nunq; aufertur tactus manente motu: sed contra tolli poterit motus manente sensu, si spiritus parua quantitate influat: quia ad motum perficiendum maius robur virtutis animalis requiritur, maiorq; spirituum copia, & nerui duriores, quàm ad sensum. Nam motus in actione consistit, sensus verò in passione. Verùm vbi communi neruo non fruuntur muscoli, partesq; cutis, sed alius neruus distribuitur in musculum, alius in cutem, tolli poterit sensus manente motu, & motus manente sensu. Differentiæ paralyfis præcipuè sumuntur à loco affecto & à causis, quæ ex supra dictis facile intelliguntur.

Differentiæ  
paralyfis.

Signa.

Signa pa-  
ralyfis in-  
stantis &  
præsentis.

17. Signa Paralyfis imminentis sunt stupor membrorum cum grauitate, tremore, aut palpitatione, sensus turbatio & debilitas, capitis grauedo, vrina alba, tenuis, & teste Gordonio in pueris febricitantibus vrina viridis, quæ extinctionem

calo-

caloris natiui arguit. Signa ipsius paralyfis sunt, amissio sensus, tactus aut motus, aut vtriusq; in partibus. Deinde pars quæ resolutur, laxa, mollis, grauis & frigida est, & si malum prolongetur, membrum illud emaciatur & extenuatur, & pulsus neruorum in eo parui, debilesq; redduntur.

18. Conuulsio autem canina siue oris distorsio oriri solet interdum à paralyfi, interdum à conuulsione musculorum oris.

Verùm distinguitur paralyfis à conuulsione: quia in paralyfi pars resoluta sensu caret; deinde laxa, mollisq; est, & à sanâ parte opposita, eiusq; musculis suo munere fungentibus attrahitur. At pars conuulsa dolorem aliquem plerumq; coniunctum habet, & dura rigidaq; est, eiusq; muscoli ita intenti & rigidi, vt extendi nequeant, sed simul sanam aduersam partem violenter ad se trahant.

Distinctio paralyfis & conuulsionis.

19. Quo autem partem primò affectâ dignoscamus, requiritur vt ante omnia ex Anatomijs perspecta habeamus, initia ductusq; omnium neruorum. Vbi cerebrum afficitur non secundum totum, sed secundum partem dextram vel sinistram, cum dextra vel sinistra parte totius corporis resoluuntur quoq; faciei partes dextræ aut sinistræ, & simul vox aliquo modo impedita erit.

Signa partis affectæ.

20. Medullæ spinalis pars quo superior, eo præstantior, eiusq; læsio grauior. Quare læsa spina in exortu, ita vt vis animalis in neruos influere nequeat, omnes quæ sunt sub facie partes, sensu motuq; priuantur. Vbi in exortu dimidia tantum spinæ pars afficitur, nimirum dextra, vel sinistra, paralyfis partis corporis dextræ vel sinistræ excitatur. Sin in alia parte spinæ sit affectio, membra quæ inde neruos accipiunt, resoluuntur, veluti brachia & manus affectis vertebrais cervicis, crura, pedes & affectis vertebrais lumborum &c.

21. Quod si verò pars vna sola siue in capite siue infra cervicem resoluta fuerit, in illius particulæ neruo, aut eius exortu

ortu

ortu erit morbus, veluti vbi nerui secundi paris cerebri affi-  
ciuntur, oculi resoluuntur; vbi tertij paris, palpebræ; vbi ner-  
uus è tertio & septimo pari in linguam proreptans, paralyfin  
linguæ; vbi nerui ab ossè sacro musculo vesicæ inserti labo-  
rant, oritur resolutio vesicæ. Eadem est in cæteris ratio. Ve-  
rùm vt singula exactius dignoscamus, modum affectus inqui-  
rere oportet, an partis alicuius læsio præcesserit, vt ictus, aut  
casus partis alicuius spinæ, grauis refrigeratio &c.

Signa cau-  
farum.

22. Vbi causa paralyfis est intemperies frigida humida,  
dignoscitur ex causis frigidis prægressis. Solutio continui per  
se facilè deprehenditur. Angustia meatuum nimirum con-  
stipatio aut compressio à tumore, ictu, contusione, & vinculis  
iniectis, solo intuitu, vel ex ægri relatione facilè iudicantur.  
Verùm paralyfis quando subito consequitur ictum aut ca-  
sum, fit ob contritionem nerui. Si non subito consequatur ob  
inflammationem, quæ ictui succedit.

23. Quod si nulla apparuerunt harum causarum indicia,  
consentaneum erit morbum causam paralyfis esse, obstructio-  
nem ab humore. Verùm an ab humore pituitoso Melancho-  
lico aut sanguine, æstimare oportet ex affectis & proprietate  
cuiusq; humoris in corpore, & ex causis eum humorem aggre-  
gantibus, quemadmodum in Disputatione de Apoplexia de-  
monstratum fuit. Si conuulsio paralyfi complicata sit, pars  
affecta, dura, intensa & contracta erit, sine sensu tactus.

Prognosti-  
ca.

24. Paralyfis malum graue est, quod licet mortem non  
inducat, ad functiones tamen hominem ita ineptum reddit,  
vt mori satius sit. Accidit hoc malum potissimum senibus  
hyberno tempore. Paralyfis quæ annum pertransit, vt plu-  
rimum non curatur, præcipuè si membri resoluti calor natu-  
ralis non seruetur, & magnitudo minuetur. Quare si lateris  
resoluti oculus minuatur, incurabilis est. Paralyfis à luxatio-  
ne vertebrarum vt plurimum lethalis. Ab incisione neruo-  
rum

rum aut ictu conterente curationem non admittit: Nam ner-  
uus dissectus nunquam perfectè consolidatur, teste Hipp. 19.  
Aph. 6. Quare in talibus perfecta curatio tentanda non est.

25. Paralysis ab intemperie & tumore comprimente faci-  
lius tollitur, quàm ab alio affectu: Et ab obstructione ini-  
tio curationem non difficulter admittit, si non fuerit à mate-  
ria crassa, irresolubili, nec in senili frigidoq; corpore. Nam  
indecrepitis paralysis non sanatur. Tremor superueniens  
paralyfi bonus: ac inter membra resoluta, quæ actu calidiora  
sunt, & sensum & motum facilius recipiunt. Paralyfi à ma-  
teria frigida si febris superuenerit bona existimatur, nam ma-  
teriam ex parte discutit.

26. Restat vt de curatione dicamus. Indicationes curati-  
uæ, sumuntur à morbo & morbifica causa, si actu morbum fo-  
ueat. Morbus si intemperies humida frigida fuerit, calefa-  
cientia & exiccantia insinuat, si continui solutio, vt sectio aut  
vulnus, conglutinantia & consolidantia. Si angustia viarum  
variantur indicationes, pro angustia varietate. Nam quan-  
do angustia est compressio aut constipatio à tumore, materia  
parti impacta euacuanda erit digerentibus, vt in alijs tumori-  
bus. Quando compressio neruorum est à luxatione verte-  
brarum, requiritur vt in suum locum si fieri queat vertebram  
restituamus, deinde neruum ab inflammatione conseruemus.  
Quando verò angustia est obstructio, deobstruentia indicat,  
pro natura materiae obstruentis. Quare si materia illa frigida  
& crassa fuerit, qualis vt plurimum esse solet, insinuat calefa-  
cientia, attenuantia, detergentia & euacuantia.

27. Verùm quando morbus fouetur à causa antecedente,  
in corpore, nimirum ab humore redundante, tum euacua-  
re conuenit. Deinde ipsum morbum contrarijs iam dictis  
eradicare, cerebrum spinam, partesque neruosas confortare,  
& reliquias materiae discutere.

B

28. Per-

De Curati-  
one.

Indicatio-  
nes cura-  
tiuæ.

**Materia** 28. Perficiuntur hæc omnia tribus potissimum, nimirum  
**remediorū.** Diæta, Chirurgia, & Pharmacia. Et primū vt à Diæta in-  
**Diæta-** cipiamus. Aer sit calidus siccus, vel naturâ talis; vel arte vi  
ignis alteratus, interdum suffitu ex puluere thuris cariophil-  
lorum, styracis calamitæ, roris marini &c.

29. Victus ratio quo ad alimenta in genere sit calefaciens,  
attenuans: Verū quia initio Paralyfis plerumq̃ apo-  
plexiã minatur & morbus acutus est, post chronicus redditur:  
Quare initio victus tenuior sit, post plenior: Probantur cibi  
**Cibi.** boni succi, facilis concoctionis & digestionis, sed quia mate-  
ria peccans plerumq; est humor crassus frigidus, condiantur  
cibi & medicamentis calefacientibus exsiccantibus, & atte-  
nuantibus, cuius generis sunt rosmarinus, saluia, hyssopus,  
acorus, fœniculum &c. Conueniunt autem panis bis coctus,  
semine anisi conditus, carnes assæ, potissimum pullorum gal-  
linæ, perdicum, columbarum, turturum, auicularum monta-  
narum &c. Auenzoar in hoc affectu præ cæteris commendat  
carnes columbarum syluestrium. Dantur etiam oua forbilia  
recentia, interdum cum puluere saluiæ. Verū à multis sor-  
bitionibus, à carne suilla & fumo indurata, à lacte & caseo,  
cibisq; crassi alimenti & piscibus abstineant. Concedi tamen  
poterunt pisces saxatiles parua quantitate, præparati cum  
pipere, rosmarino &c.

30. Ex fructibus commendantur potissimum, nuces pi-  
næ, deinde pistacia, amygdalæ amaræ, passulæ. Verū fru-  
ctus horarij omnes improbantur. Mesues dat Cappares con-  
ditos aromatibus sine aceto. Nam acetum nervis inimicum  
est. Verū famem & sitim tolerare non parum adiumenti af-  
fert in hoc malo præcipuè in initio. Itaq; suadet Aëtius mo-  
dicis cibis, iisdemq; boni succi, modicisq; potionibus vti. In  
**Potus.** potu, laudatur hydromel præparatum cum aromatibus, aco-  
ro &c. Conceditur cereuisia alterata dictis speciebus: Im-  
proba-

probatur vinum potissimum initio in progressu, nisi in senibus, & qui vino assueti talibus parum Hippocratici vini aut similis indulgemus. Somnus sit moderatus & nocturnus tantum, aliquot horis à cœna. Ante cibum euacuato corpore exerceantur ægri. Et si exerceri nequeunt, earum vicem frictiones suppleant; dandaq; opera, vt alius quoq; respondeat: fugiant omnem tristitiam, metum, grauesq; curas &c.

31. Constituta Diæta consequens est, vt ad præsidia Chirurgica veniamus. Qualia sunt, Phlebotomia, cucurbitulæ cauteria &c. Phlebotomia locum habet potissimum, vbi malum est à redundantia sanguinis, aut à sanguine fouetur, si ætas, viresq; ferant, detrahendus sanguis erit, sed non ea in copia, qua peccat: vel, quia partes resolutæ propter quietem refrigerantur, ideo per multam sanguinis missionem refrigerandæ non sunt. Vel quia morbus plerumq; diuturnus est; proinde ægri subitas euacuationes non sustinent. Instituitur venæ sectio præmissis Clystere, aut lenitiuo ad euacuationem communium excrementorum, & secetur vena lateris sani vt Aëtius monet, præcipuè Cephalica, sæpèq; sectio repetatur, & singulis vicibus parum detrahatur, vt natura assuecat, multiplici & paulatina illa detractio, materiam à parte læsa, ad sanam deducere. Verùm in paralyti linguæ, vltimo vena sub lingua secari poterit. Si nulla aut exigua sit sanguinis redundantia, satius est multò à phlebotomia abstinere.

32. Aëtius & Auicenna probant cucurbitulas cum scarificatione, si materia peccans sit copiosa & nondum impacta; Sine scarificatione si impacta, minusq; copiosa. Igitur cucurbitulæ cum scarificatione parti sanæ admoueri debent, vt materia à parte affecta reuellatur, & in oppositum trahatur, quod circa initia fieri debet. Sed si materia sit tantum impacta, post completas euacuationes parti affectæ admoueantur cucurbitulæ sine scarificatione, vt vel calor natiuus in partibus exci-

Præsidia

Chyrur-

gica.

Phleboto-

mia.

Cucurbi-

tulæ.

tetur, vel vt materia impacta eliciatur, vel alimentum in partem facilius attrahatur. Adhibentur autem cucurbitulæ initijs musculorum, vel si parti affectæ adhiberi nequeunt, vicinis partibus. Quidam ad spiritus & calorem natiuum excitandum, primum initio neruorum cucurbitulas affigunt, deinde ad membrum affectum eas paulatim transferunt. Sed hæc breuiori tempore fieri debent, ne vires dissoluantur.

**Frictiones.** 33. Simili ratione frictiones & in parte sana & affecta conueniunt, sed in sana validiores circa initia potissimum quæ materiam nondum impactam ad se trahunt. In parte affecta leuiores frictiones instituantur, quibus calor natiuus excitetur ad dissoluendam materiam impactam, vt spiritus ad membrum affectum per neruos penetrare queat. Deinde vt alimentum melius trahatur in membrum affectum, hæc frictiones instituantur (purgato corpore) cum vnguentis appropriatis.

34. Accidit interdum in Paralyfi teste Auicenna, vt latus sanum vehementer calidum sit, & ægrum planè frigidum, vel quod pars ægra spiritus excludat, eosq; sana recipiat, vel quia febris superueniens sanam incendit, & in ægra pituitam liquefacit. Vel quia humores calidi ad latus sanum inclinant. In tali casu frictiones & cucurbitulæ lateri sano adhibendæ non sunt, sed potius affecto, vt calor natiuus excitetur & reuocetur.

**Cauteria.** 35. Aëtius cauteria commendat in futura coronali, in ea paralyfi potissimum quæ oritur à pituita defluente à cerebro. Verùm, gratia præcautionis admouenda sunt cauteria, aut vesicatoria parti robustiori: gratia curationis parti affectæ, aut vicinæ: veluti, si brachium sit resolutum, admoueatur cauterium circa primam & secundam vertebra[m] colli. Si simul pedes & crura paralyfi detineantur, alterum fiat circa inferiores vertebra[s] lumborum.

36. An-



36. <sup>Pharmaca.</sup> Antequam autem cauterijs & similibus vtamur, requiritur vt ægri diligentissimè purgentur, præmissis præparantibus, initio factò à leuioribus procedendo sensim ad validiora. Nam qui accelerant cum medicinis fortibus concoctionem; naturæq; modum impediunt, & curam vel in longum protrahunt, vel desperatam reddunt.

37. <sup>Præparantia.</sup> Proinde præmissò clystere detergente aut leui purgatione præparatur humor peccans initio leuiter incidentibus, extenuantibus, deinde validioribus, cuius generis sunt mel rosatum, anthosatum, squilliticum, syrupus de betonica, stæchade, hyssopo, de Iua Nicolai, &c. Oxymel à nonnullis improbatur, propter acetum neruis inimicum, quia verò acrimoniam & tenuitatem aceti mirigat mel, poterit oxymel minus acidum cum alijs in progressu exhiberi, quemadmodum si materia non sit ita frigida, nonnihil syrupi acetosi & similium quæ acetum habent.

38. Dantur autem huiusmodi syrupi cum aquis aut decocto appropriato, quale est decoctum Ireos, Acori, Pæonia, foeniculi, seminis anisi, foeniculi, fileris montani, foliorum saluæ, chamæpiteos, beton. hyssopi, chamedrios maioranæ, flor. anthos, stæchados, lauendulæ, primulæ veris &c. Si redundarit materia melancholica, folia melissæ, pulegij, thymi flor. borag. buglossæ radic. helenij, &c. In progressu addatur aliquid radicis angelicæ, aristolochiæ rot. gentianæ, galangæ, visci quercini, summit: centaurij minoris & limaturæ ligni sancti &c. decoquantur hæc plerumque in hydromelite.

39. <sup>Purgantia.</sup> Post præparationem humorum per interualla conueniunt purgantia initio leuiora, ex pillulis Hieræ cum Agar. Asaiereth, vel infuso foliorum senæ & agarici in decocto appropriato. Deinde sensim ad validiora procedendum. Verùm in initio, si materia influat aut confertim incumbat in partem

affectam, metusq; sit grauioris mali, vt apoplexiæ: cogimur  
» validiora purgantia exhibere, alioquin lentè procedendum  
» erit: quia morbus diuturnus est, & materia contumax.

40. Probantur in progressu post concoctionem si materia  
peccans sit pituitosa, pilulæ cochiaë, & de Agarico, cum ali-  
quot granis trochif. alhandal. & castorei, vel infuso Agarici,  
turbith. hermodactyl. Zingib. in decocto foliorum senæ, sal-  
uiaë, chamepythios, florum stæchados &c. vel cum iure galli  
veteris infarcti huiusmodi speciebus. Conficiuntur à practi-  
cis huic instituto varij syrups magistrales & pilulæ purgantes:  
Commendantur ex validioribus pillulæ de sarcocolla & op-  
popanace, à Mesue pill. foetidæ: ab Auicenna pillulæ de Eu-  
phorbio. Ab Alexandro Hieræ magnæ & pilulæ de nitro.  
A Mathiolo alijsq; pillulæ de Iua, quas Benedictus Victorius  
in hoc affectu, gloriosum medicamentum appellat, ex qui-  
bus quotidie aut bis in septimana scrupulum vnum, vesperi  
ante somnum exhibet.

41. Si materia peccans sit Melancholia purgetur decocto  
senæ foliorum Epythimi rad. helleb. nigri, vel pill. cochij  
cum helleboro &c. vt in curatione Apoplexiæ. Verùm quia  
virtus expultrix ita sopita non est, valida illa purgantia mino-  
ri dosi exhibeantur, quàm in Apoplexia. Si in ventriculo  
magna sit humorum redundantia & ægri assueti sint, vomitus  
» prouocari poterit succo vel decocto raphani, cum oxymelite  
» squillitico aut helleborato.

42. Post vniuersalia purgantia si cerebrum primariò affe-  
ctum sit, aut humor à cerebro ad spinam & neruos decumbat,  
maximè conducunt, particularia euacuantia, per nares ster-  
nutatorijs & errhinis, per os apophlegmatismis, quemadmo-  
dum in apoplexia ferè sed minus validis. Verùm peculiari-  
» ter commendantur Errhina & apophlegmatismi in paralyfi  
» linguæ, vt sunt gargarismi ex decocto feminis synapis, staphy-  
sagriæ,

Errhina &  
apophleg-  
matismi.

lagriæ, radic. pyrethri: Zingib. piperis longi, fol. saluiæ,  
Hissopi & addito Elect. hieræ, aut oxymell. squillitico. De-  
inde masticatoria ex pyrethro, castoreo, saluia, origano &c.  
Teneantq; Castoreum sub lingua, in ore zinziber, acorum aut  
nucem muscatam conditam, vel trochiscos ex Mithridatio,  
acoro condito, addita nucé muscata, & succo saluiæ. Simi-  
li modo procedendum erit in omni Paralyfi, vbi causa mali  
residet in capite. Si origo mali à cerebro non sit, talia præsi-  
dia magna ex parte omittenda erunt.

43. Post Euacuantia sequuntur Medicamenta, quæ cere-  
brum, neruosumq; genus corroborant, cuius generis sunt illa <sup>Corrobo-</sup>  
confortantia, quæ in Apoplexiæ curatione locum habent. <sup>rantia:</sup>  
Peculiariter verò in Paralyfi commendatur Confectio ex ce-  
rebro leporino assato, vt describitur à Benedicto vel Hollerio  
&c. ter in die sumpta. Nam cerebrum leporis assatum pecu-  
liari proprietate paralyticis conuenire existimatur. Præterea  
condita, ex conserua Chamæpytios, florum saluiæ, stæcha-  
dos, anthos, primulæ veris, ex radicibus conditis acori, eryn-  
gij, hellenij, ireos, zinziberis, galangæ, pyrethri, ex nucé mus-  
cata conditâ. Item cum speciebus diambriæ, diamosci, pli-  
ris archont. Semine Pœoniæ, rutæ, solutione margaritarum  
& corallorum. Si suspicio sit caloris, cum speciebus diarrho-  
don, rosatæ nouellæ, aromatici rosati, conserua buglossæ, ra-  
dicibus cichorij conditis &c. Ex his fieri poterunt varia con-  
dita siue Electuar. Interdum sine, nonnunquam cum mi-  
thridatio, theriaca, Aurea Alexandrina, &c. Laudatur  
diacastoreum, diacorus, Electuarium de herba Paralysis, pil-  
lulæ de Castoreo, vel pillul. de Terebinth. cum Iua & confe-  
ctio Anacardina. Oleum & extractum saluiæ, oleum rutæ,  
nucis muscatæ, cariophyllorum, rorisraini. In hunc vsum  
varia componuntur Electuaria & pulueres magistrales. Aëti-  
us in progressu ea etiam exhibet, quæ vrinas mouent & Hip-  
pocr.

poer. in Coacis prædict. 359. solui resolutionem asserit ma-  
gna vrinarum confertim & repente prodeuntium copiâ. Quia  
autem febris Paralyfi superueniens Materiam peccantem at-  
tenuare & discutere solet, ideò in Paralyfi à pituita potissi-  
mum ad febrem excitandam Rasis commendat confectionem  
Anacard. à ʒi. ad ʒii. Paulus & Aëtius Castoreum. Sed  
hæc temerè adhibenda non sunt: Verùm in robustis, recol-  
lectis viribus aliquot diebus, post vsum aliorum remedio-  
rum.

Sudorife-  
ra.

44. Post exactas purgationes conueniunt sudorifera ex  
decocto ligni sancti, sassafras, sarseparillæ &c. Nam talibus  
sudoriferis oportunè exhibitis, multi pristinæ sanitati sunt  
restituti. Infundantur autem ramentorum ligni sancti ʒvi.  
corticis eiusdem & ligni sassafras cuiusq; ʒl. in libris octo  
aquæ feruentis per horas octodecim. Deinde coquantur  
lentè ad mediæ partis consumptionem addendo fol. saluiæ,  
camæpythios, florum stæchados, anthos, primulæ veris, semi-  
nis anisi, pœoniæ, baccarum lauri, visci quercini &c. Huius  
decocti dulcorati melle anthosato & similibus dari poterunt  
mane & vesperi aliquot horis ante cibum ʒvi. aut vii. De-  
inde sudor eliciatur, & post sudores partes affectæ fricentur &  
vnguentis illinantur, vt infra, quò calor natiuus & spiritus re-  
uocentur. Probatum in hoc casu syrupus de milio D. Am-  
brosij, aqua vitæ à Matthiolo descripta. l. 5. de Vino. Aquæ  
Theriacales, aliæq; aquæ vitæ pro paralyticis, cuius generis  
quinq; descriptiones recensentur à Vidio.

Topica.

45. Extrinsècus admouenda sunt, teste Auicenna, medi-  
camenta calefacientia, tenuis essentia & vinctuosa, quæ simul  
emolliunt & discutunt. Adhibentur autem topica primariò  
parti affectæ; interdum partibus resolutis. Verùm si para-  
lysis sit Critica, aut ex Apoplexia, materia peccans calidis le-  
uiter promouenda erit ad partes resolutas: Si non sit critica  
sed ex

sed ex affluxu materiæ ad nervos tantum, quamdiu influit Auicenna resoluentia admouet, quæ simul vim aliquam repellendi habent, vt sunt medicamenta ex calamo aromatico, cypero, mace & similibus. Si nil influat, resoluentia mixta sint emollientibus. Incipiendum autem est à mitioribus, minusq; calidis procedendo sensim ad validiora purgato prius corpore.

46. Quare initio post leues euacuationes conueniunt inunctiones ex oleo camomelino, lumbricorum, liliorum alborum, nardino & similibus. Deinde oleo costino, vulpino, irino, rutaceo, laurino, terebinthinæ, de lateribus &c. procedendo tandem aut circa finem post exactissimas purgationes, ad oleum de piperibus, de semine sinapis de pyrethro Mesue, de Castoreo, de Euphorbio &c. Eiusmodi oleis cum cera, additis in principio potissimum, Axungia humana, vulpis, anseris, ciconiæ, taxi, medulla, vituli, cerui, succo saluiæ, puluere chamepytios, stæchados &c. In progressu gummi opoponacis, bdellij, Ammoniacci &c. solutis in aqua vitæ, sub finem Castoreo, pipere, Euphorbio &c. componuntur varia vnguenta & cerata à Medicis, cuius generis sunt quæ ab Auicenna, Leonello, Guainerio, Montagnana alijsq; describuntur.

47. Commendatur vnguentum de bdellio Mesue cum oleo terebinthinæ, item vnguentum marciatum, Agrippæ, Arragonis cum oleo de Castoreo aut terebinthinæ. Pro singulari experimento habetur, pulueris lumbricorum terrestrium combustorum in olla s*b*.i. piperis & galangæ cuiusq;  $\frac{3}{4}$ . cum melle despumato miscere, & membro affecto tribus noctibus adhibere. Probatur autem Guainerio, oleum decoctionis Ciconiæ, vel pinguedo de catellis ruffis coctis ad ossium separationem. A Leonello oleum viperinum, item pinguedo collecta, ex anseris assato, prius euiscerato & infarcto pinguedine

C

B

dine

dine vulpis, felis, lupi &c. Præscribuntur varij Balsami de-  
stillati, qualis est balsamus ex galbano, Balsamus Mesues; &  
qui ab Euonimo, Hollerio, Benedicto Victorio, alijsq; in hoc  
casu describuntur. Mane post leuem frictionem cum linteo  
calido inungatur membrum affectum medicamentis præscri-  
ptis, respiciendo ante omnia partem primò affectam (vnde  
nerui deferentes sensum & motum originem ducunt, vt docet  
Gal. 3. de Loc. c. 10. in Pausanio Sophista) ei que potissimum  
remedia admoueantur.

48. In progressu paranda sunt fomenta ex radicibus ebu-  
li, acori, irios, liliorum alborum, fol. Chamæpytios, saluiæ,  
origani, rosmar. rutæ, Calamenti montani, pulegij, florum  
stæchados, camomillini, meliloti, baccarum lauri, Iuniperi  
&c. Fiatq; decoctio in aqua & vino pro irroratione & fomen-  
tatione partium affectarum. Ex talibus decoctis fiunt quoq;  
in progressu Balnea, in quo partes resolutæ foueantur, fri-  
centur, extendantur, varièq; commoueantur & exercean-  
tur, vt ad eas calor natiuus cum spiritu alliciatur. Consultum  
quoq; est corpus resolutum ita collocare aut operire, ne fu-  
mus decocti euanescat, & in decoctum silices candentes sæpè  
inijcere, vt vapor ad partes affectas ascendat. Verùm huius-  
modi balnea ante decimum septimum, aut vicesimum diem  
rarissimè conueniunt.

49. Post balnea statim vnguentis præscriptis partes inun-  
gantur, deinde pelle vulpina contegantur. Vtile est pellem  
prius suffumigare myrrha, thure, mastice, charyophillis &c.  
aut puluerem pelli inspergere, calideq; admouere. Proban-  
tur balnea ex decoctione vulpis cum herbis appropriatis. Vn-  
guentis & fomentis discutientibus miscenda sunt semper  
quædam emollientia, potissimum si malum sit à Melancholia,  
initio maiori copia, post minori. Nam qui statim ad validè  
discutientia & resoluentia confugiunt, materiam impactam,  
duram

duram & irresolubilem reddunt. Quare ad validissimè resolu-  
tione ultimò tandem accedendum erit.

50. Si prædictis non liberentur, balnea, naturalia siue  
thermas adire poterunt, nimirum sulphureas, nitrosas & a-  
lumniosas. Consulunt nonnulli circa declinationem aut  
tricesimum morbi diem per decem dies mane & vesperi, dua-  
bus horis ante cibum ægros in balnea naturalia deducere, &  
cum per horæ spacium ibi manserint, exiccatos in lectum de-  
ferre, vbi cooperti sudent: In balneo aquis thermalibus tor-  
rentis ritu initio spinam, partesq; resolutas perfundere, ac  
post sudores oleo vulpino inungere. Iubent quoq; luto bal-  
nei, partes oblinire, ac sæpè ante balnea assumere aliquid mi-  
thridati aut theriaci cum conserua saluiæ, chamæpytios,  
Acori. In horum naturalium balneorum defectu præparari  
poterunt balnea artificialia ex decocto sulphuris addito non-  
nihil ramentorum ligni sancti, fol. Chamæpyth. saluiæ, ros-  
marini &c. in lixiuio cineris sarmentorum vitis, ligni Iuni-  
peri & similibus.

51. Paulus consulit ante inunctionem partes fricare cum  
urtica Romana recenti: aliqui cum squilla & thure, aut cum  
radice Iridis contrita in oleis calidis. Sub finem potissimùm  
probantur ad attrahendum sanguinem & spiritus in partem  
affectam cucurbitulas sine scarificatione partibus affectis ad-  
hibere, sed earum breuis sit mora, ne id quod attractum est,  
dissoluatur. Simili modo Dropaces & Sinapismi sub finem  
conueniunt, vt pars affecta in tumorem tantùm attollatur,  
non exulceretur. Verùm post sinapismos oleo costino vulpino  
&c. inungi debet.

52. Paralyfis ab externis causis, vt à vinculis iniectis, à Paralyfis.  
torpedine pisce &c tollitur remotione causarum & medica- à causis ex-  
mentis iam expositis, quæ intemperiem contractam corri- ternis cu-  
gunt. In Paralyfi ex refrigeratione commendatur mirificè ratio,

à Galeno 2. de Simpl. c. 7. balneum olei calidi. Paralyfis à sanguine medicamenta assumpta & extrinsecus admota magis temperata exigit, non ultra secundum gradum calefacientium, qualia sunt: oleum liliorum alb. camomill. lumbricorum. costinum Vulpinum &c. Si Paralyfis statim incipiat à contusione aut ictu nervos conterente, licet curationem admittere non videatur, tamen utile est, pellem ovis recenter detractam parti imponere, cæteraq; primum adhibere, quæ ab inflammatione & putredine conseruant, deinde quæ citra morsum siccandi & confortandi vim habent: Si post ictum non statim oriatur Paralyfis, sed aliquantò post ab inflammatione, curanda erit vt inflammatio, admoto Emplastro Rhasis ex foenugræco, alijsq; emollientibus, modicèq; relaxantibus & discutientibus, &c.

53. In omni paralyfi adhibenda sunt remedia parti primariò affectæ, vbi residet morbus, aliquando ipsis partibus resolutis, potissimum initijs musculorum: veluti in paralyfi linguæ; Inunctiones adhibeantur potissimum posteriori parti capitis & ceruici; in cynico spasmo ex paralyfi, ceruici in primis, aliquando fronti & temporibus: In paralyfi pedum, vltimis lumborum vertebris; eademq; in cæteris ratio est. Curationem particularis cuiusq; paralyfis in specie, breuitatis causa nunc omitto.

**F I N I S.**

Psychiatrie 21, 39 =